Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 289
Quelle:
Copyright:

gii martiris Et ſepultus cum eximijs pluribus doctoribus in eccleſia ſancti Stephani Wienn. in latere quod duodecim apoſtolis domini dedicatum Et tale ſuperſcriptum ſibi ſortitus eſt epitaphium.

En petrus olim doctor bene clarus in orbe
Dogmate cum fama conditur arta petra.
Dictus de pulka rutilat veraque ſophia
Sit regni conſors quod ſine morte manet.

Haec manu Sec. XVI. ſed fallaci; *Petrus* enim *de Pulka*, ut ait Noſter, a. 1425. defunctus non potuit hanc Expoſitionem finire a. 1431. quo finitam eſſe docet *Codex* ſequens, nec de duabus diverſis Expoſitionibus ſermonem eſſe liquet, cum praeſens *fol.* 339. p. 2. finiat: *Capitulum 7mum. inuenies in alio volumine.* Adhaerendum igitur *Petro de Pirchenwart*, qui anno 1432. immo 1435. ut ex alia ejus in *Paulinas* Expoſitione adparet, ſuperſtes fuit, corrigendusque ſimul Autor *Scriptt. Univ. Vien.* qui P. I. p. 100. vitam *Petri de Pulka* ad an. 1432. produxit, ſimul *Locheri Speculum Acad.* ab eo in errorem inductum, qui e confuſione duorum *Petrorum* manifeſte ortus eſt.

II. *fol.* 347. ſequitur Tractatus ἀκεφαλος *de Religione*, ut in calce legitur, *militari*, qui nunc infit: *fit clarum quod perfectio vite chriſtiane ſiue ſequela chriſti domini in hac via poteſt dupliciter haberi* &c. Dirigitur potiſſimum contra *Huſſitas*, et ſcriptus videtur a *Pirchenwartio* circa a. 1420. ſive tempus praedicatae contra eos ſub *Martino* V. Crucis. Extrema ſunt: *in fide chriſtiane eccleſtae vniti mereamur peruenire ad claram vnitatis trium perſonarum diuinarum viſionem, quam nobis concedat, qui ſine fine* &c. *Et tantum ſit dictum de iſta religione militari.*

III. *fol.* 371. Accedunt inſtar Mantiſſae Quaeſtiones ſelectae et diſcuſſae ex *Evangelio Job.* hactenus expoſito, quarum Prima de illis C. 5. Verbis: *Omne judicium dedit* Pater *filio.*

Circumdant Codicem Membranae 4. manu Sec. XIV. exaratae, quibus Fragmentum Expoſitionis in *Job* ignoti Autoris Cap. XXXVIII. et XXXIX. continetur.

CXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 41
Folior. 300. f. currente calamo perſcriptus continet Expoſitionem *Evangelii Johannis* a C. VII. *Poſt haec ambulabat Ieſus in Galileam* &c. usque ad finem. Initium eſt: *Poſtquam evangeliſta egit de vita et nutrimento populi* &c. Ad calcem: *Anno domini 1431°. die 17. Menſis decembris hic finis factus eſt.* A *fol.* 217. usque ad finem diſcutiuntur, quaſi in Expoſitionis Subplementum, aliae ejusdem *Evangelii* Πεφικοπαι incipiendo a C. IX. *Si ceci eſſetis, peccatum non habe-*